

go bene potest sine pœnitentia tolli peccatum.

XV. Tertio, si Deus peccatori nihil operanti, sed dormienti vel amenti infunderet gratiam habitua-lem, illa gratia tolleret maculam peccati, et redderet hominem sanctum et gratum Deo; non minus quam facit in parvulo, in quo tollit peccatum sine aliqua ejus operatione per solam infusionem gratiæ: ergo similiter poterit Deus infundere gratiam adulto nihil operanti, et justificare illum a peccato, non minus quam parvulum, nam etiam peccatum parvuli voluntarium est, voluntate primi parentis, et in quantum voluntarium tollitur per gratiam.

XVI. Quarto, si Deus reducat hominem peccatorem ad statum puræ naturæ, reddatque illi rectitudinem naturalem sine supernaturali, talis non elicit actum pœnitentiæ, qua pœnitentia est virtus infusa et supernaturalis, qua caret status pure naturalis: et tamen ille homo non retinet peccatum, quia ponitur in statu rectitudinis naturalis, cui etiam peccatum contrariatur: ergo potest in tali casu sine pœnitentia peccatum tolli.

XVII. Quinto, potest Deus hominem peccatorem annihilare, et postea eundem reproducere sine aliqua pœnitentia: tunc ex vi talis reproductionis ille non habebit peccatum, quia ejus voluntas non reproducit illud, cum nihil agat in sui reproductione, ut supponimus: nec Deus reproducens causat illud peccatum, quia Deus non potest esse auctor et causa proxima peccati, etiam habitualis, et quantum ad maculam, quia est aversio ab ipso Deo: ergo tunc ille homo non habebit peccatum.

XVIII. Denique Deus de facto remittit peccatum sine perfecta et ultima dispositione ex parte volunta-

tis: ergo etiam potest sine aliqua dispositione illud remittere: ergo sine pœnitentia, quia hæc solum requiritur ut dispositio, non ut forma justificans. Antecedens est certum in eo qui justificatur in sacramento cum sola attritione: non enim attritio est ultima dispositio, quia hæc solum est contritio formata charitate: unde extra sacramentum non sufficit ad justificationem: ergo sine ultima dispositione Deus remittit peccatum. Prima vero consequentia probatur, quia si dispositio requiritur, maxime propter exigentiam formæ, quæ connexionem habet cum illa dispositione, eamque ex natura sua requirit; forma autem magis exigit ultimam dispositionem, quam primam, quia habet immediatam connexionem cum illa, estque sibi magis proportionata et connaturalis: ergo si potest poni forma gratiæ sine ultima dispositione, etiam sine prima; imo et ipsa contritio non est dispositio ultima ad gratiam physice et entitative, sed moraliter et ex parte voluntatis; neque habet necessariam connexionem cum gratia, sed solum ex misericordia Dei volentis illam infundere sic disponenti se; ergo non repugnat sine tali dispositione Deum infundere gratiam et remittere peccatum.

XIX. Dicendum nihilominus est, non posse culpam, quatenus malum voluntarium est, tolli non solum connaturaliter, sed etiam essentialiter, et per potentiam Dei absolutam, manente eadem numero persona, quæ peccavit, sine aliqua pœnitentia formali vel radicali, ex parte hominis: poterit tamen sine formali pœnitentia, vel actu voluntatis tolli peccatum cum sola radicali pœnitentia: vel etiam e converso sine habitu seu radicali pœnitentia poterit peccatum tolli stante pœnitentia formali, vel actu

æquivalenti. Hæc est communior sententia inter Thomistas, qui communiter requirunt aliquam immutationem realem in voluntate, vel in radice voluntatis, ut peccatum possit tolli, licet non hanc vel illam immutationem determinate, quos auctores refert Nugno super hanc quæstionem LXXXVI, art. II, dubio II. Et notandi sunt duo termini positi in conclusione, nam primo dicimus non posse tolli culpam, quatenus malum voluntarium est, quia si solum attendamus ad reatum, seu obligationem ad pœnam, quæ remanet transacto actu peccati, talis reatus sicut et ipsa pœna, cum sit aliquid involuntarium, potest tolli vel suspendi a Deo, vel remitti sine aliqua mutatione ex parte hominis, quia ille reatus seu obligatio solum est denominatio quædam rationis, non voluntaria, nec habens voluntarium denominans: sed potius ipso nolente consecuta ex ordinatione superioris destinantis istum peccatorem ad pœnam.

XX. Et secundo dico, manente eadem persona, ut removeamus illos duos casus supra positos, quod scilicet Persona divina assumeret naturam hominis peccatoris, destruendo ejus personalitatem: et secundo, si annihilaret hominem peccatorem, et postea reproducere illum: nam in primo casu jam est altera persona ab illa quæ peccavit, scilicet Persona divina, cui omne peccatum et denominatio peccati repugnat: unde non manebit peccatum in tali natura facta unione hypostatica, qui peccatum non denominat naturam, nisi cum ordine ad personam peccantem, quia natura non peccat, et agit ut quod, sed suppositum; et sic destructa persona, quæ peccavit, non restat aliquid peccatum. In secundo autem casu discontinuatur persona et

natura per annihilationem; reproducta autem tali persona, non reviviscit actio præterita, nec voluntarium, quia omnes illæ denominationes in desitione illa defecerunt, quia cessavit voluntas; et ideo non consurgit unum novum voluntarium, vel denominatio voluntatis per voluntatis productionem, vel reproductionem, in qua solum passive se habet voluntas, et mere materialiter, non per liberam elicentiam illius, quod de novo non datur. His duobus casibus remotis, in reliquis, in quibus eadem persona manet sine discontinuatione dicimus, non posse peccatum tolli sine immutatione aliqua voluntatis radicali vel formali; et in hoc sensu accipimus cum toto rigore dictum S. Thomæ articulo II, quod: *Impossibile est sine pœnitentia remitti peccatum*. Et idem significat 1-2, quæst. CXIII, articulo V, et aliis locis, quæ ibi citantur.

XXI. Fundamentum hujus resolutionis est, quia culpa est malum voluntarium, nec denominat hominem peccatorem nisi modo voluntario: ergo non potest tolli essentialiter hoc malum, et hæc denominatio, nisi voluntate mutata. Patet consequentia, quia voluntate immutata, et manente sicut antea, non tollitur quod peccatum illud non sit voluntarium, si quidem eodem modo se habet sicut antea: ergo non tollitur per quamcumque extrinsecam denominationem vel immutationem, quod illa voluntas sit perseverans in peccato: ergo neque tollitur quod ab intrinseco, et in quantum voluntas, sit judicanda indigna divina gratia et amoris, et quod habeat Deum offensum, quia intrinsece habet aversionem a Deo: si autem per illam extrinsecam conditionem tollitur culpa, etiam in quantum malum voluntarium, et Deus debet judicare illum hominem ut non indignum, nec aversum a

se, neque ipsum Deum manere offensum, quia offensum ablata est, ut supponit hæc sententia: ergo simul iudicabit illum hominem dignum et indignum, sibi offensum et non offensum, quæ sunt manifesta contradictoria.

XXII. Et hinc sumitur ratio a priori, quia quando aliqua denominatio essentialiter dependet ab aliqua forma vel actu reali, non potest illa denominatio, etiamsi extrinseca sit tolli, nisi ablato illo actu vel forma, a qua provenit, et multo minus si denominatio intrinseca sit. De denominatione intrinseca non est dubium, quia essentialiter a forma dependet formalis denominatio et effectus, ut album ab albedine; nec enim potest tolli album non separata albedine a subjecto. De extrinseca denominatione constat, quia si paries est visus denominative, non potest tolli illa denominatio, nisi cessante visione a qua provenit. Si lex est facta, aut vox imposita, non potest tolli talis denominatio, nisi mutetur voluntas circa talem impositionem, quæ quidem mutatio non est intrinseca et realis in ipsa pecunia vel voce imposita, sed in ipsa voluntate, a qua talis denominatio seu impositio provenit. Et sic de omni denominatione. Hæc autem denominatio moralis et extrinseca, qua Deus denominatur offensus, non provenit a voluntate Dei, sed a voluntate aversa peccatoris, sicut e converso reatus seu obligatio, qua peccator remanet obligatus ad pœnam, provenit a voluntate Dei, non a voluntate peccatoris, quare non sublata et mutata voluntate peccatoris, non potest tolli illa denominatio Dei offensi, quia est effectus formalis ejus, licet extrinsecus, sicut parietem esse visum a visione; sicut e contra, non sublata voluntate illa Dei, qua obligavit istum ad pœnam (quod est remissio illius) non

tollitur denominatio talis reatus.

XXIII. Nec obstat, quod peccatum transivit, transeunte actu; transivit enim actualiter, sed remanet virtualiter in voluntate non retractata, et ex illa fit denominatio offensæ in Deo: et sic transivit actus, sed manet voluntas aversa, alias si sufficeret transire actum peccati, ut tolleretur denominatio offensæ in Deo, statim ac quis peccavit, Deus non remaneret offensus, quod est absurdum: ergo indiget retractatione voluntatis, ut illa denominatio peccatoris tollatur, et offensæ Dei remittatur in ratione offensæ voluntariæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIV. Unde dissolvuntur argumenta a principio posita, et ad ea quæ ponuntur in primo sensu hujus dubitationis, respondetur in primis falsum esse illud fundamentum, quod peccatum solum relinquit effectus morales, seu denominationem extrinsecam, revera enim multos intrinsecos effectus relinquit; tum privativos, sicut est macula et privatio gratiæ; tum positivos, ut est conversio ad finem creatum, cui remanet affecta voluntas, de quo latius tractari solet 1-2, in materia de peccatis: reatus vero seu obligatio ad pœnam, est effectus peccati non voluntarius (neque enim peccator vult esse obnoxius pœnæ) sed mediante ordinatione divina, quæ peccatorem destinat et ordinat ad pœnam; et si peccatum non relinqueret post se alium effectum, quam istum, non est dubium quod posset tolli per solam extrinsecam condonationem Dei relaxantis istam obligationem, neque ista denominatio extrinseca nascitur ex ipso peccatore, sed ex ordinatione divina: unde non est necessarius ad illam

tollendam essentialiter loquendo aliquis actus realis ex parte peccatoris, sed ordinatio ipsa realis ex parte Dei volentis talem obligationem relaxare et tollere: cæterum in peccatore, præter istum reatum est alius effectus et moralis et extrinsecæ denominationis, ortus ex voluntate peccatoris, non ab ipso Deo. Licet enim denominet Deum offensum, non tamen ab ipso, sed ab homine offendente oritur denominatio: sicut esse visum in pariete oritur a vidente, ideoque talis offensæ voluntaria est ratio a qua procedit (scilicet a voluntate hominis) et hæc denominatio tolli non potest, non sublata causa illius, per mutationem voluntatis, sicut denominatio visi tolli non potest, nisi sublata visione, illa enim manente, paries non potest non denominari visus, quia est quasi effectus formalis ejus extrinsecus.

XXV. Et ad exemplum de homine qui potest remittere offensam sine mutatione aliqua ipsius offendentis respondetur, quod etiam apud homines, offensæ facta alteri quantum ad id quod habet de culpa et de voluntario, remitti non potest ex sola extrinseca condonatione, immutata manente alterius voluntate; sed potest remitti quantum ad reatum et obligationem satisfaciendi, et quantum ad animum ipsius offensi, quod non sit male affectus ad offendentem, sed illum amet, nec odio habeat: hoc totum potest tolli per solam voluntatem offensi, nihil ponendo extrinsecum in voluntate offendentis; quod tamen voluntas divina non facit, cum si amat, hoc ipso imprimit aliquid in eo, quem amat: eodem modo Deus potest sua voluntate sola remittere peccati reatum, et obligationem ad pœnam, relaxando supplicium, et nihil immutando de voluntate offendentis: non tamen potest remittere offensam ut volunta-

ria et culpabilis est, et ut orta ex voluntate offendentis, nisi voluntas mutetur formaliter, vel eminenter seu virtualiter. Quod vero dicitur de censuris faciliorem habet solutionem; censura enim solum est pœna ecclesiastica, non culpa ipsa, licet propter culpam feratur: pœna autem imposita tolli potest, etiam ipso reo invito, et voluntate ejus non mutata, quia non provenit ex ejus voluntate, sed a sola voluntate et ordinatione superioris.

XXVI. Ad ea quæ pro secunda parte objiciuntur respondetur, quod in primo casu de unione hypostatica, non remanet eadem persona peccatoris, quæ ante unionem hypostaticam peccaverat; ideoque non indiget mutatione voluntatis, facta mutatione personæ, quæ non potest peccato esse obnoxia, ut jam explicatum est; nostra autem resolutio tantum procedit, quando manet eadem persona. Ad secundum et tertium casum respondetur, hic non reperi pœnitentiam formalem, neque formalem voluntatis mutationem, sed eminentialem aut radicalem, quia gratia est radix voluntatis. Similiter posita visione beatifica in intellectu, rectificatur voluntas, etiamsi non infundatur charitas, nec resultet amor beatificus, quia voluntas radicaliter continetur in intellectu, et ab ejus dictamine et apprehensione dependet: nihil enim volitum, quin præcognitum. Et ita rectificato omni dictamine intellectus per summam unionem cum Deo, et gratiam consummatam, virtualiter et in sua radice manet voluntas immutata, et conversa ad Deum, licet nondum formaliter sit in actu amoris, sed quasi in habitu et radice. Hæc autem immutatio sufficit ad remissionem peccati, et substituitur loco formalis pœnitentiæ, et immutationis formalis voluntatis, quia est radicalis ejus immutatio.

XXVII. Ad quartum casum dicitur, quod si reddatur hominis rectitudo naturalis, licet non habeat pœnitentiam formalem et supernaturalem, habet tamen naturalem detestationem peccati, explicitam aut implicitam et virtuaalem, qualem ille status naturalis secum compatitur; nam eo modo quo illa naturalis rectitudo rectificaverit voluntatem, eo modo immutabit illam, immutatione convenienti pro illo statu puræ natura, non sufficienti pro gratia, unde nec illud peccatum remittetur in ordine ad statum supernaturalem, quem destruxit, sed in ordine ad naturalem rectitudinem, quam vulneravit; sicque illa non erit adæquata remissio, et simpliciter ablatio peccati, sed inadæquata, et secundum quid, scilicet pro statu mere naturali; et in illo habebit voluntas immutationem aliquam illi statui convenientem, scilicet ordinis naturalis.

XXVIII. Ad quintum casum dicitur, jam supra explicatum esse, excipiendum esse illum casum, quia excipimus illum, asserentes quod in universum manente eadem numero persona formaliter; nequit peccatum remitti absque immutatione voluntatis; in illo autem casu, licet sit eadem persona entitative, non tamen est eadem continuative, quia annihilatur et reproducitur, et illa desitione omnino perit, tam ipsa persona, quam peccatum, et non manet eadem quantum ad mansionem continuationis. Quod autem postea reproducitur non juvat, quia peccatum non potest reviviscere, quia non datur causa reproductiva illius; non Deus, quia non est auctor peccati; non voluntas hominis, quia nihil agit de novo, ut supponimus.

XXIX. Ad ultimum casum respondetur, quod quando justificatur homo in sacramento cum sola attri-

tione, etiamsi non habeat ultimam dispositionem ad gratiam ex parte voluntatis, habet tamen illam quæ sufficit, ut si Deus gratiam infundat, voluntarie accipiat, quia non ponit obicem, seu resistantiam gratiæ; et sic est sufficiens dispositio ut dicatur dari gratiam volenti et consentienti; et hæc mutatio sufficit pro dispositione voluntaria, sine qua formaliter haberi non concedimus, nec posse Deum remittere peccatum, et justificare hominem sine illa, infundendo gratiam: cæterum si cum illa dispositione imperfecta attritionis Deus gratiam infundit, ipsa infusio gratiæ est mutatio sufficiens voluntatis solum radicaliter et eminenter, ut dictum est, et sic fit ex attrito contritus: non quia attritio mutetur in contritionem, sed quia effectum contritionis habet adjunctum (scilicet gratiam) atque adeo non sine mutatione interiori fit illa remissio, nec sine pœnitentia, saltem radicali et virtuali.

UNUM PECCATUM SINE ALIO NON REMITTITUR.

XXX. Ex dictis colliges brevem resolutionem alterius dubii, an scilicet possit unum peccatum mortale sine alio remitti et tolli. De quo agit S. Thomas in hac quæstione LXXXVI. articulo III. Et de facto et secundum potentiam ordinariam, certum est non posse, quia nullum peccatum mortale tolli potest sine gratia et dilectione Dei super omnia, saltem habituali; sed cum gratia non potest stare simul aliquod peccatum mortale, quia necessario et essentialiter habet annexam privationem gratiæ; ergo non potest unum peccatum mortale tolli per infusionem gratiæ, (sicut de facto fit) alio peccato mortali remanente.

XXXI. De potentia vero absoluta

dicimus, quod in nostra sententia, qua resolvimus, non posse sine pœnitentia formali vel eminentiali peccatum remitti, neque etiam posse tolli unum peccatum sine alio, quia existente formali pœnitentia, illa habet annexam gratiam, cum qua simul peccatum stare non potest; posita autem eminentiali pœnitentia, illa est ipsa gratia, vel gratia consummata, ut beatitudo, vel eminentior gratia, ut unio hypostatica, et reliquæ similes mutationes, quæ multo magis repugnant cum peccato, quam gratia ipsa; in altera autem sententia affirmante quod potest peccatum de absoluta Dei potentia remitti sine mutatione aliqua intrinseca hominis, et sine pœnitentia aliqua, tam eminentiali quam formali, sed per solam extrinsecam denominationem et condonationem, poterit unum peccatum tolli sine altero, quia non repugnat Deum condonare unam offensam, et additionem maculæ, non sublata alia offensa distincta: neque in hoc ulla apparet implicatio, quia condonatio extrinseca unius non est opposita cum omni peccato, sicut gratia, seu forma intrinseca omni peccato repugnat.

ARTICULUS II.

*Per quam formam tollatur peccatum veniale, tam ex opere operantis, quam ex opere operato?*

I. Supponit titulus articuli dupliciter peccatum veniale tolli. Primo, sine aliqua susceptione sacramenti, vel alicujus sacramentalis, sicut est aspersio aquæ benedictæ, et alia similia; sed per excitationem alicujus motus spiritualis in Deum, qui dicitur fervor charitatis: secundo, ex opere operato, sicut suscipiendo

eucharistiam, vel aliquod sacramentum delentur peccata venialia ex ipsa virtute sacramentorum, quæ virtus dicitur ex opere operato, id est, ex virtute sanguinis Christi, delere peccata; et similiter ex susceptione aliquorum sacramentalium, id est, aliquarum sacrarum cæremoniæ, quas Ecclesia pro remissione venialium ordinavit. Et sic oritur duplex difficultas: prima, ex parte formæ tollentis formaliter maculam peccati venialis: secunda, circa dispositionem requisitam ad tollenda ista peccata, præsertim quando tolluntur per sacramenta vel sacramentalia ex opere operato, quæ scilicet dispositio sufficiat ad illa tollenda.

II. Ex S. Thoma in articulo primo et secundo hujus quæstionis LXXXVII, habemus tria. Primum est, requiri pœnitentiam aliquam (saltem imperfectam et virtuaalem) ad tollenda venialia, non formalem sicut ad tollenda mortalia: secundum est, non requiri ad tollenda venialia aliquam infusionem gratiæ habitualis, vel aliquid habituale de novo infusum, sed sufficere motum aliquem gratiæ vel charitatis: tertium est in articulo secundo ad tertium. Quod macula peccati venialis non inducitur per privationem gratiæ, sed per inclinationem effectus inordinatam ad aliquid temporale; et ad hanc maculam peccati venialis tollendam requiri aliquem actum procedentem ex gratia, per quem removeatur inordinata adhæsiō ad rem temporalem.

QUID SIT FORMA DELENENS MACULAM VENIALIS?

III. Circa has conclusiones, et dicta S. Thomæ, licet aliquæ occurrant difficultates, quas statim